metsi in scripturis involuta extent, ac dicta obscurius, semper tamen in capitibus fidei sint censa; non pauca etiam, quorum in scripturis forte ne linea quidem occurrat ulla. In hoc igitur conflictu ubi & illis argumentum deest idoneum ad demonstrandum, quod nonnisi conjectando, & hariolando hactenus sumpserunt, & nobis è contra tanta vox, & tanta cum Authoritate conjuncta pro vadimonio sit: videant sane, si æqui esse æstimatores possint, utrorumnam, suam, an catholicorum causam potiorem putent.

§. X.

Dicebamus, inter ea, quæ traditione accepimus, esse non pauca, quorum in sacris scripturis forte ne mentio quidem fiat. Atque huc sane pertinet detrita illa, & annis abhinc aliquot mirum vexata quæstio, quam nostra ætate cùm clarissimus Nellerus, ut sæpe solebat, conjecisset in medium, non paribus animis ab omnibus exceptus fuit. Quærebat autem de Traditionibus, quas *mere orales* vocant, existerentne earum ullæ, sic, ut ne disputando quidem ex scripturis, tanquam ex involucro quodam elici possent.

Ac ſibi quidem videri, ajebat, *pragmaticum*, ac *fundamentale* aliquod hujuſmodi vix oſtenſum iri. Quodſi de iis, ut remur (libenter enim in partem optimam omnia trahimus) intellectum volebat, quæ à Theologis noſtris *ſcitu neceſſaria neceſſitate medii* vocantur, non ſolum illud damus, quod petit, ſed plus etiam. Exiſtimamus enim, non obſcure, ſed clare dilucideque ſatis in divinis litteris ea omnia contineri. Sed neque ex iſto capite virum exagitabimus, quod divinitas ſacrorum librorum dogma pragmaticum ac fundamentale ſit, cujus tamen nullum penitus in ſcripturis paratum nobis argumentum ſit, ſed quod totum, quantum eſt, ex unâ traditione definiri poſſit. Atqui benigniores etiam hâc in re eſſe cupimus cæteris. Qui enim ſic ſcripſerat: *an dentur traditiones dogmaticæ à verbo Dei ſcripto plane ſeparatæ, quarum ne obſcura quidem mentio fiat in ſacris paginis, quæſtio eſt pure ſcholaſtica*, is profecto Canonem ipſum, quâ parte communis utrisque eſt, Catholicis ac Proteſtantibus, pro conceſſo etiam ſumebat ab utrisque, neque quæſtionem de eo tum ullam ex propoſito ſaltem inſtituiſſe cenſendus eſt. Quid autem de reliquis? Rem tanti eſſe puta-

putabimus, ut vel momentum boni otii insumendum in eâ esse videatur? Minime vero gentium. Videmus enim clarissimum Marinum Mahisium, virum ex Protestante Catholicum & Aurelianensem Canonicum in præclaro libro, quem de veritate religionis catholicæ scripsit, id operam dedisse, ut, quæcunque hujus dogmata religionis à Protestantibus reprobantur, eà ex scripturis ipsis ostenderet; ac non modo vituperatorem idcirco habuisse nullum, sed laudatores etiam multos. Quâsi vero tam quisquam nostrorum stultus sit, ut à verbo Dei tradito magis, quam scripto pendere velit? A verbo Dei pendemus, scriptum, traditumve sit: sed accipimus, ut accepimus. Quod itaque *non scriptum* appellemus, cùm eo facimus, quoniam, quæ obscure scripta sunt, & difficiles explicatus habent, fere perinde sunt, atque si scripta non essent (*Est enim silentii quoddam genus*, inquit Basilius, *obscuritas, quâ utitur scriptura, difficilem intellectu reddens dogmatum sententiam*) tum eo quam maxime, ut Protestantibus suum demus, neque nostra tamen amittamus. Istorum enim hujusmodi est oratio: *Scriptum non est: ergo*

dogma non est. Bene habet, inquimus nos, *si scriptum non est; at certe traditum est: dogma igitur est, aut esse potest, siquidem à Deo ipso revelante manârit traditio.* Quocirca quicunque sint ii tandem Nellerianæ adjutores propugnatoresque sententiæ; efficiant modo, ut Protestantes ad doctrinam revertantur Majorum suorum, id est, Ecclesiæ, quam deseruerunt; Sponsores sumus, si citra contemptum traditionum ex scripturis ostendere studuerint, quæ docemus, hoc in magnis eorum laudibus repositum iri. Quid vestigia in scripturis quærimus, cum hæc ipsa vestigia, nisi quid amplius adferamus, Protestantibus tantumdem, ac nihil sint? Convinci ex verbo scripto volunt: locis autem obscuris atque perplexis quæ inesse vis potest ad convincendum?

Quamobrem ut hoc postremum sit; nihil profecto causæ habebat Disputator iste recens, cur illud Paffii verteret in succum, objectaretque nobis, non posse neque ex Paulo, neque ex Joanne traditiones istiusmodi demonstrari, cum eo semper reditura quæstio sit, an, quæ Paulus sermone

tra-

tradidit, aut Joannes committenda Chartæ non putavit, ad dogma potius, quam ad disciplinæ instituta spectaverint: Atque si primum etiam detur, dijudicandum restare, annon ea postmodum saltem consignata litteris sint: horum autem neutrum definiri à nobis posse. Itane! Hoc scilicet krinomenon causæ erat? hoc agebatur? sunt, ut proxime dicebamus, certa nobis & explorata dogmata non pauca, quæ, siquis scrutator diligens è verbo Dei scripto posse elici à se putaverit, non resistimus, laudamus etiam, si elicuerit; credimus autem non inde moti, quod elicuerit, innitamurque nos huic ejus industriæ; sed quod Ecclesiæ, quæ, quod accepit, id tradidit, repugnare *testimonio* non possimus. At negant hæc ipsa Protestantes, & rationem postulati, ad detritum illud suum, tanquam ad saxum adhærescunt: nihil à se exigi posse, ut divinâ credant fide, præterquam quod scriptum sit, & clarissimis verbis quidem; cætera omnia in arbitrariis, ac indifferentibus à se haberi. Atqui hic enimvero nos, tanquam ad hominem: Paulus ecce (sic enim premimus) Paulus annon Corinthios adhortatur, ut *stent, teneantque traditiones* acceptas, *sive*

per ſermonem, ſive per Epiſtolam? Joannes annon ſemel atque iterum, *multa*, inquit, *habui tibi ſcribere, ſed nolui per atramentum & calamum; plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam & atramentum: os ad os loquemur; ſpero me futurum apud vos, & os ad os loqui.* Ad hæc iſti: nihil ſe his moveri; demonſtrari primum oportere, non fuiſſe hæc eadem ſaltem ſerius relata in litteras. Amabo, ſiquid demonſtrandum hic ſit, cui incumbet! Nobis, qui in *authoritate publicâ* conquieſcimus, *teſtificatione publicâ* contenti ſumus, an iſtis, qui, privati cum ſint, utramque repudiant? Nobis, qui ad *factum* provocamus, quod depelli non poteſt, primos Chriſtianos verbo etiam non ſcripto ſtetiſſe, & debuiſſe ſtare ex mandato Apoſtoli; an iſtis, qui, cum elidere hoc factum non poſſint, aliud optant, quale intereſſe vident ſuâ, ad cauſam afflictam ſuſtentandam? Noſtrum hoc eſt: neque rei indolem, neque præſentis divini conſilii rationem id poſtulare, ut, quæ credenda divinâ fide ſunt, etiam ſcriptis conſignata extent. Proteſtantium iſtud: non indolem quidem rei, ſed tamen præſentis rationem divini conſilii poſtulare.

Ite-

Iterum, atque iterum: cui probatio incumbet?

Quodſi hanc partem cornicationis deſerant, ac jam ad alterum iſtud deflectant; ſaltem non conſtare, annon de rebus, quæ diſciplinam tantum ſpectârint, locuti ſint Apoſtoli; nimis dilutum, prorſus nihil eſt, quod dicunt. Nam nonniſi de inſtitutis arbitrariis locutos, Paulum inprimis, cujus tam eſt gravis adhortatio tanquam in momenti re maximi, cui homini ſobrio perſuadere poterunt? *Non retinetis, quod, cum adhuc eſſem apud vos, dicebam vobis? itaque ſtate & tenete traditiones, quas accepiſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram. O Timothee, depoſitum cuſtodi*, & quæ horum ſimilia proferri ſolent: ſeveriora hæc ſunt, quam ut in indifferentibus conſiſtant. Sed ut hæc mittantur; contra vocem Eccleſiæ, contra teſtificationem, authoritatemque publicam obniti cum velint; erit ipſorum profecto, cum demonſtrare primum non poſſint, è duobus, quæ ſumunt, eſſe, quidquid ad dogma pertinebat, in litteras relatum poſtea, demonſtrare nunc ſaltem hoc alterum, Apoſtolos in iis ut minimum locis ad diſ-

ciplinam respexisse tantum, non autem ad dogma, in quibus aut traditiones, quod commune dogmati juxta ac disciplinæ nomen est, commendabant fidelibus, aut hoc innuebant, habere se, quæ tuto litteris committi non possent: quod sane ultimum magis dogmati, quam disciplinæ competit.

Atque hæc quidem ex abundanti. Brevissime poteramus dimittere tergiversatores illos morosos ac tetricos. Quid enim? Nunquam nos eo referebamus verba Pauli aut Joannis, ut confectum inde vellemus, non esse, quæ illic viva voce tradiderunt, ne postea quidem relata in litteras. Nunquam etiam sic iis utebamur, ut præfracte contenderemus (quanquam possemus id quidem) de dogmate potius, quam de disciplina fuisse locutos. Satis ad causam nostram, & hoc maxime volebamus, perinde de dogmate, quam de disciplina posse verba eorum intelligi; satis, certissime tum saltem, quando scribebant ista Paulus Corinthiis, aut Joannes Electæ & Gajo, res, quas indicatas epistolis suis volebant, communibus literis consignatas nondum fuisse. His enim duobus positis, duo consequimur. Nam

ut

et tralatitium illud depellimus ac calumniæ plenum, Pharisæorum nos more *traditiones hominum* consectari, divinoque verbo injuriam facere; & unà in scripturis his ipsis si non ἀπόδειξιν demonstrationemque, qualem rixosus quisque sibi postulabit, at primos certe ductus doctrinæ nostræ de Traditionibus, eosque nec exiles nec tenues deteximus. Iter igitur ad triumphum istis ex locis sternimus; triumphamus autem *testificatione publicâ corporis perpetui*, in qua una ineluctabilis & infinita quædam vis est ad præscribendum ac pervincendum.

Quanquam si fuisset etiam Paulus, quod minime damus, de disciplina locutus tantum; Quid? non possemus nos, qui *jure possessionis* agimus, argumentum hunc in modum *à pari*, quod ajunt, instruere: Apostolos, quæ ad disciplinam pertinebant, non omnia docuisse scriptis; igitur id neque de iis, quæ ad dogma spectabant, ostendi posse eos fecisse?

Quâ in re mirari iterum subit scriptorem istum, de quo sæpius. Scribit enim inepte eos agere Theologos, qui hujusmodi

modi Traditionum exempla, quorum apud Tertullianum & Basilium copiosa recensio fit, ad traditiones etiam *dogmaticas* transferunt. Quasi vero ineptire hoc sit, cum vestigiis Patrum hæremus! Atqui ipse ille Tertullianus, ubi exempla ista *observationum* (sic enim ab eo appellantur) inducit enumeratque prolixius, significanter tanquam ex occasione ad locum quendam communem pertractandum delatus, id eo se facere ostendit, ut traditiones universe omnes non scriptas sine ullo discrimine vindicet atque stabiliat. *Ergo quæramus*, inquit, *an & traditio nisi scripta non debeat recipi. Plane negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius scripturæ instrumento, solius traditionis titulo & exinde consuetudinis patrocinio vindicamus.* Sequitur tum recensio harum observationum, quæ ut illic enarrantur, connexæ pene omnes cum dogmate, & illius velut tradux quidam sunt: ac deinde concludit: *Harum & aliarum hujusmodi disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.*

trix. De Traditionibus vero universe acceptis quid sentiat, demonstrant ea, quæ in libro de Præscriptionibus Capite trigesimo septimo. more quidem suo, sed gravissime disputat, atque in hæc verba postremum colligit: *Quicunque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit; constat ratio propositi nostri, definientis, non esse admittendos hæreticos ad ineundam de scripturis provocationem, quos sine scripturis probamus ad scripturas non pertinere.* — Itane tam inepta hæc, ut imitari Theologi nostri non debuerint? Hæc igitur mens, hic sensus Tertulliani fuit, ut sive de dogmate, sive de disciplina quæreretur, traditioni etiam non scriptæ esse standum censuerit, traditionemque hanc, ut reipsa est, scripturâ priorem & magis late patentem pro lege esse voluerit, ex qua omnis Ecclesiastica Quæstio disceptaretur.

Quid autem Basilius? Is in eo libro, quem ad Amphilochium de Spiritu sancto scripsit, & in quo quandam quasi

fidei

fidei propriæ rationem accusatoribus reddit suis partim hæreticis, partim catholicis, duplex ipse Traditionum secernit genus, quorum alterum τῶν δογμάτων, alterum τῶν κηρυγμάτων vocat, *credendorum & agendorum*: nam sic accipiendum est græcum illud, τῶν κηρυγμάτων, id est *prædicatorum*; quoniam, quæ agenda sunt, publice, velut leges Magistratuum, voce præconis promulgantur. At idem Basilius de utrisque, credendis, agendisque nihilominus ita statuit, ut alia quidem ex iis habere nos scripto dicat, alia traditione tantum; quæ tamen ambo perinde valere ait ad pietatem. Mox dogmatum illorum ac rituum varia exempla commemorat, quæ partim consuetudines, partim Christianæ Fidei decreta continent. Quodsi huic igitur gravissimo viro licuit, traditionum ambo ista genera componere, & habere promiscue; Theologi, cum eum imitantur, quid est, quod ineptire dicantur?

Atque hæc nos hactenus de traditionibus divinis, id est, Dei nomine promulgatis pro instituto nostro breviter.

ribus reddit
tholicis, du-
rnit genus,
ων, alterum
rum & agen-
eſt græcum
prædicato-
ſunt, pub-
num, voce
dem Baſilius
lisque nihi-
nidem ex iis
a traditione
rinde valere
matum illo-
commemo-
nes, partim
ent. Quod-
viro licuit,
componere,
ologi, cum
od ineptire

e traditioni-
ne promul-
viter.